

Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 50, fol. XXII–XXIIv

Quantum testari possit. Capitulum. L.

Lex precipit liberis legittimis et naturalibus certam quantitatem rerum testari, quasi de iure naturali eis debeatur. Hoc modo: si quattuor sunt aut pautiores, tertiam partem omnium hereditatum; si vero quinque sunt aut plures, tunc habebunt medium partem totius paterne hereditatis. Reliqua substantia tota stat in voluntate patris. Versus: Quattuor aut infra dat natis iura trientem,

Semissetem vero dant natis quinque vel ultra,

Arbitrium sequitur substantia cetera patris.

Et non immerito, quia ipse eas res elaboravit, ymmo si intestatus decederet, adhuc anima sua partem suam habebit. Et nota, quod semissetem vel trientem isti nati debet inter se dividere, ita quod nulla iniuria fiat. Et in his legatis debet consuetudo provinciarum servari. Sunt enim in diversis regionibus diverse consuetudines. Est tamen una consuetudo, quod testator sanus mente, sed eger corpore de rebus mobilibus liberis suis secundum suum velle disponit. Res autem immobiles equaliter dividit inter se et suam uxorem et cunctos liberos suos: et [fol. XXIIv] est bona consuetudo. Est et alia consuetudo, quod de cunctis rebus suis potest disponere prout vult: uni plus, alteri minus, uni hoc, alteri illud, sic tamen, quod legittimos liberos non debet sine causa exheredare, id est hereditate privare vel preterire. Si autem habet puberes filios, illorum consensus debet de honestate adesse. Alia iterum est consuetudo, quod quis de rebus que proveniunt ab avo vel a patre vel a matre liberis invitis nihil testamentaliter disponere potest. De rebus vero proiectitiis vel adventitiis, prout vult, disponit. Est et alia mala consuetudo, quod testator languens corpore, licet sit sanus mente, bone rationis et mature deliberationis testamentum facere non possit. Quod est contra omnem iustitiam, quia in testamentis fatiendis non requiritur valitudo corporis, sed mentis sanitas et valitudo rationis.

[hasła: dziedzic konieczny, rezerwa, wydziedziczenie, pominięcie w testamencie, prawo zwyczajowe, osoba chora fizycznie]